

cuius videlicet mentum prima lanugo nondum obdu-
 xerat, studens scilicet, & doctrina Christianus à primæ
 ætatis gradu ab utroque parente effectus: cui etiam se
 tota iam latinitas detexerat. Audito ergo huius viri
 nomine & fama, parentes & patriam simul festinus
 deserui, nec quieti nimix meos artus exhibui, quousq;
 Alexandriam deuenissem. Ingressus verò sum ciuita-
 tem, ac tam diu per vicos & calles nouus hospes incesi,
 donec huius viri domum inuenissem. Tandem verò
 illius domum inueni, & eam ingressus sum: quam cum
 ingressus fuisset, hunc virum in suo oratorio seden-
 tem, & in suis libris studètem inueni. At ille postquam
 oculos suos in me defixit, intuens me ait: Amice, huc
 accede. Accessi autem ad illum, & iuxta eum super
 stramentum, quod ibi fuerat appositum, confedi. Erat
 vir iam multum ætate decrepitus, sed adhuc vultu stre-
 nuus, & facie & statura corporis decorus. Nam & eius
 vultus omnia quæ in illius mente latebant, se diligen-
 ter intuentibus indicabat. Postquam autem confabu-
 lati sumus, quæ fuit ille, quo nomine nuncuparer, &
 vnde essem oriundus, & quæ meæ viæ causa extitisset.
 At ego respondi & illi dixi: Ego Morienus vocor, na-
 tione Romanus, quem videlicet tui nominis & scientiæ
 fama, de parentibus & patria discedere coëgit. At ille
 subiunxit: Quæ nam est fides tua, aut cuius deorum
 cultor existis? At ego respondi: Fidem meam Chri-
 stianam profiteor. nam Christi sum cultor, & illum
 Deum trinum & vnum adoro. Postea dixit Adfar: Bo-
 num est autem te me quæsiuisse, & adhuc me homine
 mundano septum inuenisse. Propalabo namq; tibi to-
 tius diuinitatis secreta, quæ ferè omnibus hætenus de-
 tegere recusavi. Tu verò mihi totis mentis tuæ viribus
 intentus adesto: nam & ego te faciam totius meæ di-
 sciplinæ filium. His igitur altrinsecus dictis, nimio gau-
 dio sum gauisus. Quid plura? Longum esset nobis in
 huius operis institutis singula de quibus ad inuicem
 tractauimus, enumerare & dicere. Remansi tandem cū
 illo, & me illi in tantum amabilem exhibui, quòd ille
 mihi totius diuinitatis secreta dixerit. Postea mortuus
 est Adfar: & ego post eius obitum, post dies paucos ab
 Alexan-